



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Corona Avrea Svper Mithram Romani Pontificis**

**Raynaud, Théophile**

**Romae, 1647**

Fructus I. Quanta veneratio, Romano Pontifici ab omnibus fidelibus  
exhibenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10481**

tra rationalem consuetudinem . Nemo fidelis contra pietatis intelligentiam certare audeat , ne Schismaticus inueniatur & non Catholicus . Sequamur S.Romanæ Ecclesiæ auctoritatem , vt vnde Catholicæ fidei initia accepimus ; inde exēplaria salutis nostræ semper accipere valeamus ; ne membra à corpore separentur suo , ne Clauiger Regni Cœlestis abijciat , quos à suis diuerfos intelliget esse doctrinis.]

S V B N O T A T I O III.

*Qui fructus Morales, ex tam illustribus Romani Pontificis Titulis , eruendi .*

**E**X tam luculentis , tamque numerosis Romani Pontificis titulis , erui possunt insignes fructus morales , quoad cultum , obedientiam , ac subiectionem , personæ tot decoribus à Deo honestatæ , debitam , à quibusuis fidelibus : præter gratitudinem , qua iidem fideles Deo obstricti sunt , ob prouisam huiusmodi viam fidei regulam , tantoperè necessariam . S. Bernardus in idem hausit , quàm eximia Sanctitate collucere debeat , qui ad tantam sublimitatem , totque non vacuos titulos est euectus . Quæ omnia breuiter hîc attingemus .

F R U C T V S I.

*Quanta veneratio Romano Pontifici ab omnibus fidelibus exhibenda .*

**I**mprimis ergo , colligi ex tot Pontificis ornamentis potest , quanta reuerentia , simulque obedientia , & subiectio , Pontifici Romano , vero in terris Christi Vicario de-

D d d bea-

beatur . Est enim generalis vicarij , idem quod Episcopi tribun al. Non potest ergo esse ambiguum , quàm emineat Romani Pontificis potestas ; quem esse Pastoris & Episcopi animarum nostrarum generalem vicarium , fides docet . Ex quo de veneratione eidem debita liquere potest . Sanè quanta semper B. Petri ex eo Vicariatu habita sit maiestas & superexcellens dignitas , ex varijs Patrum testimonijs discere licet , optimèque ex S. Maximo serm. 3. de SS. Petro & Paulo , *ad finem* ; [ Quid ( inquit , ) de Petro referam , cuius tanta à Deo approbata iustitia , tantaque ei potestas attributa est iudicandi , vt in arbitrio eius , poneretur coelestis iudicium ? Perspicite ergo & aestimate , quanto nobis sit Petrus Apostolus honore reuerendus , cuius sententiam in terris probatam , sempiterni iudicis auctoritas non repellit . Ideò diligenter intendite , quæ sit eius gloriæ magnitudo , cui dum clauces regni committuntur æterni , cœlum illi claudere & aperire , permissum est . ]

Pulchrè item in eandem sententiam S. Odo serm. de Cathedra S. Petri , verbis illis . [ O inæstimabilis & immensa bonitas , hominem in terra positum , tenere cœlum ? Ecce nunc ad nutum Petri , diuini regni claustra patefcunt . Accepit enim à Christo , clauces Regni Cœlorum ; vt solutis vinculis delictorum , aperiret credentibus cœlum . O quàm vicina & profunda remedia ? Iuxta se habet mundus , Dei regnum , si currat ad Petrum . Posuit ad vicem suam in sæculo , coelestis regni clauicularium Petrum , ne difficilem sibi ad cœlum , quispiam aestimaret ascensum . ] Talia passim de S. Petro , prout Christi Vicario , Patres Romanum autem Pontificem , S. Petro in ea Vicaria Christi præfectura succedere , & omnium titularum quibus S. Petrus ratione supremæ Pontificiæ sedis potitur , esse participem ; iam supra est demonstratum . Itaque de maiestate præcella Romani Pontificis , liquere ex prædictis titulis potest , ac debet .

Eam verò tanquam luculentum Hieroglyphicum exprimit

primit Pontificia *tyara*, seu *mithra*, ac *regnum*. Ita vocant textum è tribus coronis, quarum quæ media est, cum mulat eam quæ imo loco ponitur; sicut ipsa media, cum mulatur à tertia & summa. Iulius Bullengerus l. de Vestimentis sacris c. 4. ex Innocentio Tertio, *mithram*, & *regnum*, seu coronam discriminat, sed Paschalius l. 9. de coronis c. 14. duo illa in Pontificio *regno* necti docet, & multus est inquirendis varijs rationibus structi è triplici corona ornamentis; quod diffusè quoque profequutus est Anton. Mazzaronius tract. de tribus coronis Pontificis Maximi cap. 3. Ratio triplicis illius coronæ Pōtificiæ quam profert VVolfgangus Lazius l. 2. Comment. Reip. Rom. cap. 3. minimè omnium placet. Ait triplicem esse Romani Pontificis coronam, quia sub Patriarchatu suo habet Italiam, Illyricum, & Affricam. Hæc ratio est insufficientissima. Nam Romanus Pontifex, est Patriarcha Oecumenicus, nec illis duntaxat tribus Prouincijs summo spiritali iure præest, sed tribus vniuersi orbis partibus; vt proinde debuerit Lazius, rationem potius petere, ex subiectis Pontifici tribus, hoc est omnibus planè Christianis oris. Quod si rationem habere placeat illius distributionis regionum, qua indulsit alijs Patriarchis immediatam rectionem quarundam regionum, saluis sibi semper excubijs quas ei potestas Petri inabdicabiliter committit; ne sic quidem ad ternarium Prouinciarum arctanda est immediata eius rectio. Nam Patriarchatui Romano, subsunt multo plures prouinciæ quàm tres enumeratæ, vt Germania, & totus septentrio, Gallia, Britannia maior, Hispania, quarum regionum quælibet, protensior est quàm Italia. Itaque Pontifex, non iam ternas, sed septenas, vel octonas, aut etiam plures gestare coronas deberet, si Lazij ratio esset idonea. Probabiliora sunt quæ Cæsar Costa l. 1. variar. ambiguitatum c. 1. in hanc rem profert, ex tripartito Christi regno, Vicariæ Romani Pontificis præfecturæ spiritali obnoxio, tribus tituli Crucis idiomatibus expresso, vt S. Chrysostronus

in c. 19. Ioan. philosophatur. Item ex triplici corona Pontificibus debita, quarum vnam habeant vr summi Sacerdotes, aliam ex Constantini Magni donatione, tertiam ex munere Clodouei Regis Francorum, vt Anastasius in Hormisda memòrat. Mazzaronius c. illo 3. huc aduocat mulierem Ægyptiam tribus regijs coronis decoram, vt exhiberetur, fuisse filiam, vxorem, ac matrem Regis, quod refert ex Pierio l. 41. hierogl. V. *Annulus*, aptatque ad Ecclesiam Vicarij Christi filiam, & sponsam, ac matrem. Addit etiam tres coronas Lunæ Reginæ ex Ludouico Coelio l. 1. c. 19. Subtiliùs & accuratiùs philosophatus est in hanc rem Carolus Paschalius dicto c. 14. Sed mihi appositè philosophaturus videbor, si dixerò, triforme hoc culmen Pontifici competere, vt præcellæ eius maiestatis, ad coelestia, terrena, & inferna pertinentis, hieroglyphicū luculentum. Nam & in terris arbiter pro Christo sedet: & quidquid resoluit in terris arbitrio, erit solutum, super coeli radium: & pro animabus reatus temporarij reliquatricibus ignes emendatarios sustinentibus, litrum ex Christi fisco sibi commissio potest annumerare. Quid quod vel ipsa sola in superstites fideles potestas, tam protensa vt nullum non comprehendat; tam fundata, vt nulla vi, nullis portarum Inferi motibus disijci vnquam potuerit, tam nobilis vt quod nulla alia magnorū qui sunt in terra iurisdicctio habet, sola sit supernaturalis, omnibus denique eximiae & præcellentissimæ Monarchiæ prærogatiuis conspicua, triformi illo coronarum texto, perfectam fidelium omnium sub huius spiritualis potestatis iura subiectionem insinuante, meritissimè expressa est?

Imbuti huius veritatis notitia, probi ac pij quique, in utroque ordine, sacro inquam & laico, Catholici ab omni Christiano æuo, summa veneratione Romanum Pontificem semper sunt profecuti. Et præiuere ipsa Concilia, in quibus frequentissimè Romanus Pontifex summo cum honore appellatur, & omni veneratione dignus decernitur.

tur. Splendidè id docet Concilium Triburiense sub For-  
moso cap. 30. [In memoriam (inquit,) B. Petri Apostoli,  
honoremus Sanctam Romanam & Apostolicam sedem,  
vt quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat  
magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare seruanda est cum  
mansuetudine humilitas; & licet vix ferendum, ab illa  
sancta sede imponatur iugum, feramus tamen, & pia de-  
uotione toleremus.] Iam supra monstravi ex S. Thoma  
Opusc. 1. hoc esse segmentum decerptum ex Synodo Oecu-  
menica; subtexereque eidem possumus Canonem Nicæ-  
num 39. ex ijs qui ex Arabico sunt versi, in quo sic habe-  
tur. [Ille qui tenet sedem Romæ, caput est & princeps  
omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus,  
sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes  
Christianos, & omnes populos eorum; vt qui sit Vicarius  
Christi Domini nostri super cunctos populos, & vniuersam  
Ecclesiam Christianam: & quicumque contradixerit, à  
Synodo excommunicatur.] Canonem istum Nicænum  
apud se haberi, agnouit Sicut Patriarcha Nestorianorum, pro-  
fitens Romæ fidem Catholicam anno 1553. Hunc ipsum  
sensum prodiderunt Episcopi Tarraconensis Prouinciæ ad  
Hilarum Papam, illis præter cætera verbis. [Domino bea-  
tissimo & Apostolica reuerentia à nobis in Christo colen-  
do, Papæ Hilario, Ascanius, & vniuersi Episcopi Tarracon-  
ensis prouinciæ. Etiam si nulla declaret necessitas Ec-  
clesiasticæ discipline, expetendum nobis reuera fuerat illud  
priuilegium sedis vestræ, quo susceptis regni clauibus post  
Resurrectionem Saluatoris, per totum orbem Beatissimi  
Petri singularis prædicatio, & vniuersorum illuminationi  
prospexit. Cuius Vicarij principatus, sicut semper, ita  
metuendus est ab omnibus & amandus. Proinde nos Deū  
in vobis primitus adorantes cui sine querela seruis, ad fi-  
dem recurrimus Apostolico ore laudatam; inde responsa  
quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pon-  
tificali totum deliberatione percipitur.] Eandem omni-

nò mentem & perhonorificā semper de Romano Pontifice existimationem, cum necessaria veneratione coniunctam, omnibus Concilijs & Sanctis Antistitibus fuisse communem, luculenter tradit Potho Prumiensis l. 3. de statu domus Dei: videndus insuper in eandem sententiam Hilarus Papa Epistola 5.

Propensissimum fuisse in cultum Romani Pontificis sacrum ordinem, liquet ex dictis. Nec officio defuerunt laici, etiam Magni qui sunt in terra. Cuius venerationis argumentum est, quod suppeditatur his verbis à Symmacho Papa, in Apologetico ad Anastasium Imperatorem. [ Omnes Catholici Principes, siue cum ipsi suscipiunt gubernacula principatus, siue cum nouus crearetur Romanus Pontifex, suis cum semper literis prauenerunt: & illam fidem tanquam boni filij quæsiuerunt, cui nosset totius curam Ecclesiæ à Christo ipso fuisse delegatam. ] Eadem repetit sub finem Apologetici. Eas porro literas Imperatorum fidelium, à Pontificibus asseruatas esse in limine Confessionis S. Petri, scribit Gregorius II. Epist. 1. ad Leonem Isaurum, *initio*. Hæc generatim dicta sunt. Sed descendendum est ad particularia exempla, quæ magis mouent.

Commodè verò initium ducam ab ijs quæ de Constantino suppeditat Rupertus in c. 3. Ionæ ad illud, *Rex surrexit de folio suo*. [ Usque adeò (inquit,) profecit audius Verbi, & paulatim inualuit, vt de altitudine gloriæ sæcularis, demitteret, & subtus se curuaret genu, verticemque inclinaret tanti Imperij, baptizato Imperatore Constantino per Beatum Syluestrum Pontificem Apostolicæ sedis. Nam in illo, quantum Euangelio Christi terrena potestas assurrexit, licet satis notum sit, paulisper tamen commemorandum est, ex priuilegio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quod idem Constantinus Imperator constituit. In quo inter cætera sic dicit: decreuimus quidem & hoc, vt idem venerabilis Pater noster Syluester summus Pontifex, vel

eius

eius successores omnes Pontifices, Diademate, videlicet quod ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo, & gemmis pretiosis vti debeant, & eorum caput ad laudem Domini nostri pro honore B. Petri Apostoli gestare. Ipse verò beatissimus Papa super coronam clericatus, quæ gerit ad gloriam B. Petri Apostoli, omnino ipsa ex auro non est passus vti corona, Phrygiū verò candidi nitoris, splendidam Resurrectionem Dominicam designans, eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes frænum equi ipsius, pro reuerentia B. Petri Apostoli, stratoris officium illi exhibuimus; statuentes, eodem Phrygio omnes successores eius singulariter vti in processionibus ad imitationem Imperij nostri. Vnde vt non Pontificalis apex vilescat; sed magis amplius quàm terreni Imperij dignitas & gloria potentia decoretur; Ecce tam palatium nostrum, vt præfatum est, quàm Romanæ Urbis & omnes Italiæ seu Occidentalium regionū prouincias, loca & ciuitates, præfato Beatissimo Pōtifici Patri nostro Syluestro, vniuersali Papæ tradente, atque relinquentes ei, & successoribus ipsius Pōtificatus, à quorum potestate, & ditione per hanc nostram diualem & sacram pragmaticam constitutionem decernimus disponenda, atque iura Sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permanenda. Vnde congruum prospeximus, nostrum Imperium & regni potestatem Orientalibus transferri transmutarique regionibus, & in Bizantij prouincia, in optimo loco, nomini nostro ciuitatem ædificari, & nostrum illic constitui Imperium; quoniam vbi principatus Sacerdotum, & Christianæ religionis caput, ab Imperatore Cœlestium constitutū est, iustum non est, vt illic terrenus Imperator habeat potestatem. Nimirum cum hæc iam dictus Constantinus dixit & fecit, tunc Rex Niniue de solio suo surrexit, tunc Romanum Imperium verbo Domini assurrexit, & abiicit vestimentum suum.] De hac Constantini Magni ad Christi in terris Vicarium demissione, iam olim propheticè de-

nun-



nunciata, luculenter agit Michael Alphordus in Britannia illustrata sect. 2. cap. 2. §. 1. & ante eum Galatinus l. 4. de arcanis c. 27. Exhibuisse Constantinum Syluestro ministerium Stratoris, cuius est Dominum in equum attollere, & equum deducere, monstrat ex Photio in Nomo Canone & ibidem Balsamone, Petrus Simonis in Apologia veritatis Catholicae cap. 149.

Constantinum Magnum, passibus propè æquis affectatus hac in parte est Iustinus Imperator, quem S. Ioanni. aduenienti obuium factum, & ante eum summa cum demissione prostratum, exhibet Anastasius in Ioanne I. & Marcellinus in Chronico. Similiter Iustinianus, Constantino Papæ ad pedes osculabundus se abiecit; & quidem coronam gestans in capite; vt appareret, etiam Imperatoriam maiestatem deijci ad pedes Vicarij Christi. Videntur Blondus Decade 1. l. 10. & Eugubinus l. 2. de Donat. Constant. num. 66. Prostrationem ad imos pedes Adriani Primi per Carolum Mægnum; Itemque Ludouici Pij coram Stephano Tertio, referunt Scriptores gestorum Caroli ac Ludouici. Pipinus Stephanum Papam equitantem, pedes ipse deduxit, vt scribit Anselmus Lucensis l. 1. Collectan. Federicus I. post aliquam tergiuersationem humilis ministerij, adactus est Adriano IV. Stratoris officium exhibere, & suppedaneum tenere Pötifice equum ascendente, indeue descendente; postquam agitata apud Principes Germaniæ controversia, consultis veteribus monumentis deprehensum est, eum fuisse antiquum morem. Gallia, & Angliæ Reges, equitanti Alexandro III. dextra lauaque astitisse pedites, ac froenum tenentes, scribit Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum anno 1163 De osculatione pedum Pontificis per viros Principes & quosuis alios, extat libellus Ioannis Stephani Valentini, & alius Marci Antonij Mazzaronij; vbi c. 3. Cuspinianum huic osculationi pedum Pontificis, infestum comprimit. Et quamuis eum honorem, Romæ ab Anglis, annuente

Vrbano Papa, delatum S. Anselmo scribit Edinerus lib. 2. tamen vt alteri quàm Summo Pontifici delatus sit, is honor, perrarum fuit: respectu autem Pontificis fuit ordinarium, & per omnes Catholicos iam olim frequentatum, vt iidem authores docent; nequicquam obstrepente Sectario prædicto, & Hotomano disput. de Feud. cap. 24. alijsque exagitationis à Gretsero ad lib. 3. Codini cap. 9. Nec pauca etiam in eam rem dabunt, Bosius 20. de Signis cap. 5. & Genebrardus in Chronolog. ad annum Christi 44. & in fine tertij seculi. Vniuersè denique quanto honore optimi Principes Pōtificem sint prosecuti, tradunt Coccius tom. 1. l. 7. art. 8. & Suar. lib. 3. defens. cap. 21. à num. 7. ac Stapletonus lib. 2. de magnitud. Rom. Eccles. cap. 4.

Itaque Ioannes VIII. Epist. 73. aduersùs Lambertum Comitem à quo parum Illustribus titulis, & vilibus (vt ait) *verbis, & inconuenientibus sermonibus, audaci mente, Inhonoratus fuerat, adducit contrarium vsum omnium retrò Magnorum.* [Sedem Apostolicam (inquit) quam DEVS omnipotens supra petram sui nominis fundare dignatus est, non solùm Reges & Principes terræ, verum etiam Imperatores Augusti, & totius orbis Domini, suis apicibus, vt potè caput omnium Ecclesiarum Dei honorauerunt, dignisque præconijs, eius Pontifices, Vicarios scilicet B. Petri Apostolorum Principis laudauerunt, votisque supplicibus deprecari studuerunt, & vsque in finem seculi, Petri manente nomine ac memoria, supplicare non desinent.] Ludouicus item II. Imperator, referente Anastasio in Nicolao I. cum Ioannes Episcopus Rauennas aduersùs Nicolaum rebellis interpellaret Imperatoris præsidium, significari illi iussit. [Vadat, & elationis fastu deposito, tanto se humiliet Pontifici, cui & nos, & omnis Ecclesiæ generalitas, inclinatur, & obedientiæ ac subiectionis colla submittit.]

Quid mirum, ista venerationis argumenta Christi Vicarijs exhibuisse pios Principes, quando etiam impij Reges,

Ee

Atti-

Attila, Genfericus, Totilas, alijque, fuere in eo genere non parci? Duo priores, S. Leonem, vltimus Pelagium primum, omni demissione sunt venerati. Rectè id obseruarunt Quintinus ad Tertullianum de Præscript. cap. 36. ac ibidem Pamelius num. 212. Item quid mirum, summo Antistiti præstita talia, cum minoribus Antistitibus exhibita legantur similia? Gulielmus Rex Angliæ, Alredo Eboracensi ad pedes se abiecit, vt est apud Neubrigensem l. 1. c. 1. Scribit Matthæus Paris anno 1170. *initio*, Henricum II. Angliæ item Regem, bis habenas equitantis S. Thomæ Cantuariensis tenuisse. Quo animo erga quoscumque Antistites esset S. Stephanus Rex Hungariæ, his verbis testatus est ad filium lib. 1. sui decreti cap. 3. [ Regum solium, ornat ordo Pontificum. Ac per hoc in Regali dignitate, tertium possident locum Pontifices. Charissime fili, seniores illos ita custodias, sicut oculorum pupillas. Si illorum benevolentiam habes, neminem aduersariorum timebis. Illis quidem te obseruantibus, eris securus in omnibus; illorum precatio commendabit te omnipotenti Deo. Illos enim Deus constituit diuini generis custodes, fecitque speculatores animarum, ac totius Ecclesiasticæ dignitatis, ac diuini Sacramenti dispositores, & datores; sine illis nec constituuntur Reges, nec principantur. ] Et verò Synodus Trosleiana cap. 5. eos qui Sacerdotibus honorem non deferunt, (maximè primis, hoc est Episcopis, quos ea Synodus agnoscit Christi Vicarios) grauitè omninò delinquere, contestatur. Quantam Reuerentiam ab Eusebia Augusta poposcerit Leontius Tripolis Lydiæ Episcopus, cum ab ea accerferetur, tradit his eius verbis Suidas. [ Si me ad te venire volueris, debita Episcopi reuerentia conseruata, Ego quidem ingrediar: Tu autem statim de sublimi isto folio descendens, veneranter mihi obuiam procedas, & caput meis manibus supponas, benedictionem acceptura. Deinde ego sedeam, tu verecundè astes, sessura cum iussero, dato signo. Si hæc conditiones placuerint, veniam ad te.

Sia

Sin alio modo, non tam multa dabis, non tam magna poteris, vt nos honore Episcopi neglecto, diuinum Sacerdotij institutum violemus. ] Quod iste ab Eusebia poposcit, vltro detulit, ac etiam multo plus exhibuit gerens se pro famula, vxor Maximi Imperatoris, excipiens Treueris Sanctum Martinum. Venerata item impensissimè est Rauennæ S. Germanum, Placidia Augusta. Nec prætereundum decretum Synodi Tricassinæ sub Ludouico II. habitæ c. 1. quo edicitur, vt nullæ mundi potestates, coram Episcopis sedere audeant, nisi illis præcipientibus. Videndus de cultu Episcopis quibusuis debito, Antiochus hom. 122. & 124. & insigniter lib. 6. Capitul. Francor. cap. 170. Varia item in eam rem adducit Iosephus Stephanus lib. de Oscul. pedum Romanorum Pontificum cap. 6. Si igitur tantus honor debetur Episcopis, quantus Episcopo Episcoporum?

Accommodare iam huc licet, argumentationem Roderici Episcopi Zamorensis lib. 2. speculi vitæ humanæ c. 1. quo toto differens vberimè de Eminentia & sublimitate Romani Pontificatus, probationem petit ex S. Ambrosio, qui lib. de dignitate Sacerdotali, gradum simplicis cuiuscunque Sacerdotis, anteponebat cuicunque humanæ ac terrenæ sublimitati, quod idem multo iustius contendit de Episcopatu quocunque. Nec abnueret S. Chrysostomus, qui lib. 3. de Sacerdot. initio, post Clementem Romanum lib. 2. Constitut. cap. 34. tantum interuallum, inter Christianum Sacerdotium, siue Episcopatum, ac regiam dignitatem esse agnoscit, quantum interiacet inter spiritum & carnem, quæ est capedo immensa, & distantia inadæquabilis, ac sine vlla prorsus proportione. Idem homil. 5. de verbis Esaïæ, *Vidi Dominum*, ferè initio, sic disputat in hanc sententiam. [ Sacerdotium principatus est, ipso etiam regno venerabilius ac maius. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas. Umbra sunt isthæc omnia, vernisque flosculis leuiora. *Omnis enim* (inquit) *gloria, flos graminis*, etiam si ipsam gloriam regalem dixeris.

Ne inquam mihi narres ista, sed si vis videre discrimen, quantum absit Rex à Sacerdote, expende modum potestatis vtrique traditæ, & videbis Sacerdotem multo sublimius Rege sedentem. Quamquam enim nobis admirandus videtur thronus regius, ob gemmas affixas, & aurum, quo obcinctus est, tamen rerum terrenarum administrationem fortitus est, nec ultra potestatem hanc, præterea, habet quicquam authoritatis. Verùm Sacerdoti, thronus in coelis collocatus est, & de coelestibus negotijs pronuntiandi habet authoritatem. Quis hæc dicit? Ipse coelorum Rex: *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in coelis: & quæcunque (inquit) solueritis super terram, erunt soluta & in coelis.* Quid cum hoc honore conferri possit? A terra iudicandi principalem authoritatem, sumit coelum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum, & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in superis comprobat. Itaque medius stat Sacerdos inter Deum & naturam humanam; illinc venientia beneficia ad nos deferens, & nostras petitiones illuc perferens, Dominum iratum reconcilians vtrique naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. Eoque Deus ipsum regale caput Sacerdotis manibus subiecit, nos erudiens. Hic Princeps est illo maior. Si quidem id quod minus est, benedictionem accipit ab eo, quod præstantius est. ¶ Videndus, qui Antistitum quorumcunque ac Sacerdotum sublimitatem, & summam apud omnes retrò veteres venerationem, splendide Ethnicorum quoque sensu non prætermisso exequitur Ludouicus Maioranus lib. 3. de vero Dei cultu à cap. 24.

Hoc si ita est de Sacerdotio quocunque, (& volo, Sacerdotium, pro vsu veterum vsurpari eo loco, ad designandum Episcopatū) quid de eo Sacerdotio dicemus, quod fons est, atque principium totius ordinis Hierarchici; nec restringitur ambitu exigui territorij, sed vagatur per orbem vniuersum, & Dei ipsius Vicaria est præfectura? Ratiocinatio est

est Gelasij Papæ quem expressit Potho Prumiensis l. 3. de statu Domus Dei. [Si (inquit Gelasius, scribens ad Anastasium Imperatorem,) cunctis generaliter Sacerdotibus rectè diuina tractantibus fidelium colla conuenit submitti, quanto potius sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus, & diuinitas summa uoluit præeminere; & subsequenti Ecclesiæ generalis pietas celebrauit?] In eandem sententiam, differit omnino insigniter Nicolaus I. Epist. 8. quæ est ad Michaelem. Et in veteri quidem Testamento, Pontifex Aaronicus, præponebatur Principi populi, ut ex modo ambos referendi seruato in Scripturis, expendit diligenter Philippus Abbas l. de Continentia cap. 70. quanto magis idem ualere debet in nouo Testamento?

Itaque demissiùs, ac minùs exactè quàm rei ueritas feruere expressa ferret, sic locutus est Symmachus Papa, in Apologet. ad Anastasium Imperatorem. [Conferamus honorem Imperatoris, cum honore Pontificis; inter quos tantum distat, quantum quod ille curam rerum humanarum gerit, iste diuinarum. Tu Imperator, à Pontifice baptismum accipis, Sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, poenitentiam rogas. Postremò tu humana administras, ille tibi diuina dispensat. Itaque ut non dicam superior, certè æqualis honor est. Nec te putes mundi pompæ præcellere, quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.]

Non æquari tantùm, sed longè anteferri oportuit spirituale Imperium supremum, cuicumque temporali: quòd quidem principatus inferior, qualis in vnoquoque Episcopo cernitur, iudicibus Ambrosio ac Chrysofostomo, (ut referebam,) improportionabiliter & inadæquabiliter superat imperium quodcunque terrenum. Ideòque nusquam legimus, eo honore affectos esse Imperatores, quo affectum legimus supremum spiritualem principem, Romanum Pontificem, ut reuenientium ab eius conspectu, & dignatorum.

torum beata eius presentia, pedibus figantur oscula, & vestium partes rapiantur, ac pro reliquijs asseruentur, Quod facere Æthiopias, suis Roma reuenientibus, scribit ad Eugenium Papam anno 1441. Nicodemus Abbas Vicarius Patriarchæ Æthiopici, apud Iacobum Nauarchum, ex quo Sanderus l.6. monarch. n. 1122.

Porro spectata tam sublimi Pontificis dignitate, quæ est venerationis Pontifici debitæ fundamentum, addendum est, non qualemcumque cultum ei esse impendendum, sed supra communem ordinem cultus religiosi sanctis tributi; ita vt cum Sanctis exhibeatur cultus duliæ spectata solæ eorum sanctitate, Pontifici tamen debeatur cultus hyperduliæ. Videri potest contrarium sentire, & communem sententiam in contrarium allegare, Antonius Mazzaronius Tract. de adorat. & osculo pedum summi Pontificis c. 1. sub finem. Decernit enim de communi Doctorum sententia, deberi Romano Pontifici cultum duliæ. Sed fortassis non dissidet nisi vocabulis, vt neque allegatus ab eo Purpura. post Iaso. l. 1. de offic. eius cui mandata est iurisdic-tio. Quomodocumque verò usurpata ab istis sit vox *duliæ*, tribuendam dico Pontifici hyperdulam. Nam eius coniunctio cum Christo, quoad fundamentum reuerentiæ, est longè altior, quicquid sit de sanctitate personali. Sicut B. Virgo, quia habet excellentiam specie diuersam ab ea quæ fundatur in gratia, nempe maternitatem, colitur adoratione superiore quàm sit ea quæ fundatur in sola gratia sanctificante, vt rectè statuit Suares t. 2. 3. p. disp. 22. sect. 3. qui anceps est, an cultus ille sit religionis strictæ sumptæ, à qua oritur Dei & Christi adoratio; an verò oriatur à speciali habitu, ob specialem Virginis dignitatem cultus prædicti fundatricem. Quod secundum, circa B. Virginem, mihi placet; & ob paritatem rationis, idem statuo in re præsentis, circa cultum impensum Vicario Christi. Porro quantus quantus est honor quem fideles Pontifici exhibere possunt, superuacaneus propè videri po-

potest, Iudice Petro Damiani Opus. s. ferm. ad Mediolanenses. [ Quo enim pacto (inquit) honore indiget paruuli hominis Romana Eccl. sia, quæ laudes, atque præconia ex ipsius ore fortita est Saluatoris ? ]

F R V C T V S II.

*Despectio & inhonoratio Romani Pontificis, quàm tetra. & celestium irarum deuocatiua.*

**T**antum de iusta ueneratione debita Christi Vicario. Quid uerò de ijs statuendum, qui pro cultu reddunt despectionem, & effundunt contempcionem super Ecclesie Principem? Grauius hoc scelus detestatur S. Cyprianus Epist. 55. prolatis varijs è Scripturarum pharetra telis. Nimirum quod is qui fratrem dixerit *Racha*, reus gehennæ ignis pronuncietur. At quomodo censuram Domini ultoris euadent, qui talia ingerunt non solum fratribus, sed & sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur? Item quod Deuter. 17. morti adiudicetur, quicumque fecerit in superbia ut non exaudiat Sacerdotem. Quod Samuelis contempcionem, in se Deus refusam contestetur; id quod etiam in Euangelio Sacerdotibus à Christo dicitur; *Qui uos spernit, me spernit*. Quod inter supremas impendentis mortis angustias, Christus percussus à famulo, quasi in gratiâ Sacerdotis aduersus istum nihil contumeliosè dixerit, nec aliquid de eius honore detraxerit. Quod denique [in Actibus Apostolorum B. Apostolus Paulus, cum ei dictum esset; *Sic insilis in Sacerdotem Dei, maledicendum?* Quamuis Domino iam Crucifixo, sacrilegi & impij & cruenti illi esse cœpissent, nec iam quicquam de Sacerdotali honore & auctoritate retinerent, tamen ipsam quamuis inane nomen, & umbram quandam Sacerdotis, cogitans Paulus, *nesciebam* (inquit,) *fratres, quia Pontifex est. Scriptum est enim, Principem populi tui non maledices.*]

Con.